Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



apoka

et ecce terremotus factus est magnus et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus et luna tota facta est ut sanguis et stellae celi ceciderunt super terram sicut ficus mittit grossos suos cum a vento movetur et celum recessit sicut liber involutus et omnis mons et insule de locis suis motae sunt et reges terrae et principes et tribuni et divites et fortes et omnis servus et liber abscondunt se in speluncis et petris montium et dicunt petris et montibus cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira agni quia venit dies magnus ira ipsorum et quis potest stare

Post hec vidi quatuor angelos stantes super quatuor VII angulos terre tenentes quatuor ventos terre ne flaret super terram nec super mare nec in ullum arborem. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum dei vivi et clamavit voce magna quatuor angelis quibus datum est nocere terre et mari dicens Nolite nocere terre et mari nec arboribus usque signemus servos dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor milia signati ex omni tribu filiorum israhel. Ex tribu iuda duodecim milia signati. Ex tribu ruben duodecim milia signati. Ex tribu gad duodecim milia signati. Ex tribu asser duodecim milia signati. Ex tribu nepthali duodecim milia signati. Ex tribu manasse duodecim milia signati. Ex tribu symeon duodecim milia signati. Ex tribu levi duodecim milia signati. Ex tribu ysachar duodecim milia signati. Ex tribu zabulon duodecim milia signati. Ex tribu ioseph duodecim milia signati. Ex tribu benyamin duodecim milia signati. Post hec vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omni gente et tribubus et populis et linguis stantes ante thronum et in conspectu agni amicti stolis albis et palme in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes. Salus deo nostro qui sedet super thronum et agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt deum dicentes Amen benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio et honor et virtus et fortitudo deo nostro in secula seculorum amen. Et respondit unus de seniorum dicens mihi hii qui amicti sunt stolis albis quis sunt et unde venerunt et dixi illi domine mi tu scis. et dixit mihi hii sunt qui venerunt de tribulatione magna et lauverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni Ideo sunt ante thronum dei et seruiunt ei die ac nocte in templo eius et qui sedet in throno habitabit super illos. Non esurient nec sitient amplius nec cadet super illos sol nec ullus estus